

Π α
538



Q.K. 305.

v. Miltitz

IIa
538

N. D. M. S.

ORATIO.

DE LITERARVM
STUDIO, ET ARTIS MILI-
taris exercitio.

QVAM IN CELEBERRIMA
VVitebergensium Academia hab
uit.

NICOLAUS A MILTITZ.



VVITEBERGAE,

Typis M. Georgij Mullerj.

Anno M. D. XCV.




MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, CON-
sultissimis & clarissimis viris, Domino Davidi Peifero,
I. V. Doctore celeberrimo, Illustrissimæ aulæ Dresdensis
Cancellario dignissimo: et Domino Nicolao à Miltitz, Con-
siliario Provinciali meritissimo, Dominis Mæcenatibus &
Fautoribus omnibus observantiæ modis, magnopere
re honorandis.

Ræclara est illa Platonis sententia, qua nos mortales
non nobis solum natos esse, sed ortus nostri partem vel
maximam patriam sibi vindicare asserit. Quippe ipsa
natura hominem constituit animal politicum, quod a-
lijs prodesse ac factam rectam conservare patriam unicè desiderat
inque votis habet mirabilibus. Ingeneravit illa virtutis heroicæ
semina ut non inconcinne à Dijs olim prognati heroes diceren-
tur: instillavit amorem societatis & stupendum conjunctionis
appetitum, quo præ cæteris animantibus communionem quæ-
reret, eam consilijs rectoris atque omni auxiliorum ratione suble-
vaturus. Ea propter cum studia & armorum usus media sint, qui-
bus patria defenditur; ejusque salus promovetur: & ego non ob-
scure sentiam vos eos esse, quibus patriam regendi domi modus,
& hostes depellendi foris ratio magnopere sit explorata, maxi-
mè cum saluberrimis consilijs, & rei militaris artisque equestris ad-
ministracione plus quàm foelici patria nostra, à V. M. & A. ju-
vetur, defendatur, promoveatur, hanc levem studiorum meorum
restificationem V. M. & A. offerre & consecrare volui, nullus am-
bigens eam vos pro vestra singulari humanitate fronte serena ac-
cepturos & contra virulentos male feriatorum morsus patrocini-
o vestro defensuros.

M. & Ampp. VV.
studijs & officijs

Addictissimus

Nicolaus à Miltitz


 Apienter vetustas sapiens, Magnifice Re-
 ctor, Viri Reverendi, Consultissimi, Excel-
 lentissimi, Clarissimi, Gravissimiq̄, & Tu
 Corona studiosorū Nobilissima, doctissima,
 lectissima, cultissima, Sapienter, inquam, illa
 hominem magnum naturæ miraculum, audaxq̄ illius opus,
 atque mundum parvum haud temerè appellitasse scribitur.
 Nam abdita ipsius si ingrediamur, & totius concinnam a-
 ptamq̄ convenientiam animo in visamus, eum universi simu-
 lachra in se continere, & condita ceu Deū immortalē longè
 excedere omnia fateamur necessitas requirit, æquitas ex-
 igit. Est equidem splendor cœli summus, lux splendidior, quæ
 per omnia se extendit, per omnia fundit, omnem supra mun-
 danam, omnem circum mundanam, omnemq̄ mundanam il-
 lustrat regionem: est motus in cœlo harmonia maximè con-
 grua: est efficacia in hæc inferiora admiranda, ut motu ipsi-
 us cessante, rota etiam figuli immota consisteret. Omnia
 enim format, omnia vivificat, congregat, disgregat. Est for-
 ma ut rotunda, sic perfecta, magisq̄ capax, omnia ut susti-
 neat, foveat: Verum homo militaribus, & planè gravatorijs
 anteit gradibus, nedum omnia, quæ in supera illa sunt regio-
 ne, suo ambitu metitur, comprehendit, continet: Splendor e-
 nim, & lux, homini concessa longè clarior, splendidior longè,
 dum ad ipsius Dei, qui Lux Æterna conditus similitudinē,
 in hoc siquidem ipsius reluceat imago, in hoc convenientia
 consedit. Unde tanta, tamq̄ admiranda operum consensio.
 Nonne enim per hanc lucem consequentia cernit, & causas
 rerum videt, earumq̄ progressus, & antecessiones non igno-
 rat,

rat, rebus presentibus adjungit & connectitq; futuras? nonne
hæc lux inferiora in homine collustrat omnia, ne tenebris ir-
retita ad præcipitia per cæcos affectus ferantur? Lux cæli
mundum tantum corporeum illustrat: lux in homine supra
mundum per illas supra mundanæ infinitatis regiones per-
vagatur: lux cæli corpora mundi cernit: lux hominis men-
tes æternas & divinas intuetur. Eapropter hanc lucem, ro-
tundum & sphericum quod caput, & totum si extendatur,
corpus inhabitare, omnesq; partes jucunda cæli similitudine
natura exprimere voluit. Luna enim ut humida, sic mes-
dullari cerebri substantia representatur: Mercurio analogo
gia haud incongrua respondent instrumenta: Veneri loca
abditæ: soli cor cum omnia vitali donet humore. Quid? Io-
vis naturam epar, Martis furorem, & incendium vesicula-
bilis: Saturni morositatem lien exprimere videtur. Hic
paulisper gradum figite, huc animorum vestrorum curas con-
vocate omnes: hic pensitate, quàm æqua lance hæc in vicem
sibi respondeant, parili licet numero: præstantia tamen in-
æquali. Verum, ut homo $\theta\alpha\upsilon\mu\alpha\sigma\delta\upsilon\nu$ illud naturæ, superiorum
est exemplar omnium, longeq; superat omnia: sic inferiorum
in homine similitudo, & dignitas præstantior. Meteora
namq; per multis in nobis ostendi dubium nemini: Fulgores
enim, & coruscationes, excandescantium oculi depingunt:
ventorum vis, tempestasq; planè poëtici innitu aurium ex-
bibentur: in faucium spacia, & laringem destillatio pluvias
atque imbres notat, lacrymæ rori assimilantur: & quod non
tam admirandum, quàm deplorandū, ultrò ad hoc ædificium
arietandum, non muniendum fodinæ metallicæ occurrunt,
dum

dum lapilli modis miris hinc inde generantur. Atq; ut aurum sole ad Horizontem vergente frigescit: sic homo aurora delectatur & felicius per illam sua conatur, suscipit, conficit.

Nec minor Plantarum, animaliumq; brutorum cum homine consensio, & similitudo, ut homo ab ipso etiam Platone planta inversa appellaretur. Taceo bruta, horum enim in multis convenientia tanta, quanta multis ancipitem curam cogitandi iniecit, animumq; in varias distraxit partes. Quid enim de Elephantis mira sagacitate, memoria firma, cupiditate gloria stupenda, probitate insigni, & quitate proba sentiendum: dum alij à cæco naturæ impetu, alij à ratione, (cujus tamen brutum nullum particeps,) proficisci sunt arbitrati. Quare seipsum qui novit, omnia novit, cum omnium similitudinem & simulachra in se habeat, et contineat. Vnde, sæpius homo se contempletur, æquum et honestum, cum ut in alijs rebus omnibus: sic in hoc alieni inspectio, & contemptus priorum vituperio censetur dignissimus. Etsi autem in hominis contemplatione numero plurima, & pene infinita se offerant: tamen ut partes duæ: sic consideratio gemina. Una enim de corpore, parte mortali, & viliori, altera de anima, parte immortalis & præstantiori. Quare de utriusq; partis cultura, & exercitio, quorum illud, quod in animo, literæ, quod verò in corpore, militaris exercitatio appellari cæpit, simulq; collatione, exercitium instituere, & verba facere apud animum constitui meum. Verum quæ in hac palæstra plurimum valent, ea mihi deesse ingenuè fateor: vosq; mirari credo audaciam, quod ego, homo adolescens, & per paucis an-

nis in literarum studio versatus, hanc durissimam in me dicendi suscepim provinciam, nec cum ijs, qui hic sedent, vel etate, vel ingenio, vel multiplici rerū experientia sum comparandus.

Quæ verò res me impulit, quòd non solum ex hac splendidissima cathedra, quò nihil, nisi omnino perfectum, et summa elaboratū industria afferri oportet: verum etiam de tam negotiosa, atq; adeo aleæ plena materia, quæ vel doctissimo, nedum mihi inertissimo imponere, ac sat negocij facessere posset dicere non dubitarim; impulit, quod homine, non dicā nobili, sed ingenuo dignius nihil, magis necessariū nullū: maxime hac periculosissima hominum etate, quæ omni iniustitia genere refertissima, quæ dolos videt innumeros, fraudes admirandas, hac, inquam, etate, quæ bellorum, armorumque flagrat incendio. Quapropter, cum me de rebus hisce tantis nec commodè dicere, nec graviter differere, ipsarumq; penetralia intrare videam, sentiam, intelligam, cum commoditati ingenium, gravitati etas, rebus temporis brevitatis, iudicium, & timor, quem mihi dignitas vestra, rerumq; inscitia, atque iudicij varietas inicit, sit impedimento, à vobis, Magnifice Rector, viri Reverendi, consultissimi, Excellentissimi, Clarissimi que, studiosorū cohors nobilissima, ingeniosissima, elegantissima, ut hunc meum conatum vestra benevolentia, & æquitate, qua vos erga alios usos animadverti sæpius, juvetis, mihiq; non dicenti, sed balbutienti benevolas præbeatis aures, magnopere peto, & contendo: hanc singularem in me benevolentiam si per sensero, studebo, eni
tarq;

tarq, ut, quod rerum dignitati deest, brevit as temporis re-
stituat, atque resarcire queat.

Rerum aliarum autem principia, sicut inventu sunt dif-
ficilia, ut rectè principium faustum appelletur dimidium: ita
in literarum contemplatione ortus cogitantibus, intimiusq,
inquirentibus haud leuem dubitandi ansam relinquit. Nam
Ægyptij in hoc laudis genere se omnibus antecellere, pri-
mosq, literarum cultores, & inventores gloriantur. Græci
etiam ambitiosi, & gloria vanae cupidi, artium, literarumq,
inventores se jactitant. Prometheum authorem proclami-
tant primum: Ipsum enim ignem, quo studia literarum, &
artes humaniores significantur (licet Plinius de igne ex si-
lice eliciendo, & in ferula asser vando interpretetur) de cœlis
surripuisse, surreptum mortalibus exhibuisse, exhibitum con-
luisse fingunt. His verò omnibus culturam literarum ex-
actiorem, multiplicemq, in illis expolitionem concedemus:
inventionem primam denegamus omnino: Græcorū enim
in literis studiū, & cultura Athenis anno mundi supra 2413.
conditis fermè cœpit, uti & ob perpetuam hujus rei memo-
riam Athenarum urbem, ceu sedem et domicilium Musarum
à Minerva, Musarum patrona, quæ Græcis ^{Αθήνη}, appellatā
percipimus. Ægyptios autem gentes fuisse incultas ante li-
terarum perceptionem testatum relinquunt historia. Osiris
enim, rex Ægypti sapiens anno mundi supra 2077. gentem
illam de justitia instituit, rationem agros colendi edocuit,
modum edulia præparandi ostendit. Cū fortè ante ipsum
homines, victu ex herbis, radicibus, glandibus, alia-
rumquè arborum fructibus contenti vitam traduxissent,
quos ob id rizophagos, spermophagos, & balanophagos
appelli-

I. Pars.

De ortu
studiorū.

Opinio
falsa I. de
Ægyptijs

II. De
Græcis.

appellitant authores, Quando etiam ante ipsum barbari, omnisq; artis et religionis ignari in deorum cultu eos instituit.

Vera sententia de studiorum ortu.
Ratio 1. Horum igitur gloria vana, inventio fictitia, & in medio, quod est in proverbio, viarum divisa. Cum à Chaldeis, & Hebræis omnia humanitatis studia, & religionis cultura suam habuerit originem, teste vel maxime ipso oraculo, ut est apud Iustinum:

Soli, inquit, Hebræi, & Chaldæi sapientiam consecuti sunt:

Ex se genitum venerantes Deum sanctè colendum.

2. Ratio. Nam si divina oracula volvamus, revolvamusq; ipsum Adamū obscuratas tenebris, plus quā Cimmerijs scintillas efflasse, cum posteris communicasse & indies magis magisque excoluisse deprehendemus. Domesticam enim disciplinam per aliquot centenos annos benè, honesteq; administravit, ad pietatem, & cultum divinum ex se prognatos adhortatus est sedulo: Agros coluit, hortis præfuit, cælum observavit, jumentorum proprietates tam enucleate calluit, ut multa à proprio, ut corvum ab infidelitate columbam ab amore appellitaret. Hæc sine literarum adjumento suscipi,

3. Ratio. nedum perfici an potuerint, aliorum sit judicium. Cum verò subinde à populo Dei studia promovenda, nominibus id ipsum Spiritus sanctus exprimere voluit. Nonne enim Iubal artem sonos aptandi quando invenit, Musices dicitur inventor? Abel scientiam illam Oeconomicam de jumentis, illorumq; natura, & singularibus dotibus quando expolivit, artis pastoriciae, seu oeconomicæ nuncupatur cultor.

Iubal

Tubal Cain naturam et usum ferri, æris, aliorumq; me-
tallorum dum monstravit, æris magister appellatur. Idcirco
à primò statim mundi semine literas expullulasse, & ab He-
bræis ad Persas Ægyptiosq; translatas, hinc ad Græcos, &
Italos, Gallosq;, & demum ab his ad lares Germaniæ de ve-
nisse extra omnem dubitationis aleam positum est. Hebræos
autem studio literarum deditos fuisse, vel ipso sacrarum lite-
rarum testimonio constat. Sacerdotes enim medicarum re-
rum, & physicarum peritissimos quis negat? Moysen per le-
ges, quæ Ethica ceu fundamento immoto carere nequeunt,
& quæ ac nos aère, & aqua, populum Dei gubernasse, casus de-
cidisse varios, pœnam exegisse justam, præmia distribuisse
æqualia quis dubitat? Antiquitus deniq;, & ipso primo sta-
tim rerum seculo fuisse inventa studia, literæ, quarum adju-
mento res memoratu dignæ ab omni oblivionis vindicantur
injuriam arguunt & ostendunt. 4. Ratio. Etsi enim alij hasce à Syris
primùm inventas, alij ab Ægyptijs receptas referant: tamẽ
unius Iosephi testimonio omni exceptione majori literas
Hebræis notas fuisse convincitur. Adamum enim latericij
tabulis, lapidijq; siderum cursum, vicissitudines temporum,
& alia quæ observatu digniora, ne vel ignis injuria peri-
rent, vel aqua vi collabascerent, inscripsisse constat. Quòd
verò nonnulli post diluvium, pro literis usi sint animalium
formis, non tam ignorantia literarum, quam negligentia ac-
ceptum referendum censemus, licet multi res suas tanquam
fabulis involvere fuerint animo. Ne aliquid in artium lite-
rarumq; studio deesset, aut illarum lituram, oblivionemq; in-
duceret, nupera ætas artem invenit typographicam, de glo-
ria

B

ria

2. Quod
nulli
obnoxia.

ria hominum triumphantem facile victricem, ut verissimum sit Platonis illud: Dei donum sunt literae, & ipse gratam in ijs de se sparsit famam. Sed quousq; ventus vela trahit, atq; equore vector inertis? ut percipiatis literas utilissimas, cum non novissimae; ut intelligatis harum cognitionem non novam, sed antiquissimam, non hominum popularium sed Magnatum, Principum, Regum, cum Seth excoluerit, Abrahamus non recusarit, Moyses non deriserit, Osiris non neglexerit, Prometheus pro ludibrio non habuerit. Nam ipsis probe cognitum, per spectumq; studia esse, quae nec eripi, nec surripi, naufragio non perire, incendio non consumi possint: studia esse quibus homo ad verum inquirendum perspicacior, ad determinandum promptior, ad exequendum temperatior. In adversis animo non abjecto, in secundis animo non elato, & superbo.

3. Quod
ipsam ho
minis me
tem locu
pletiore
reddat.

Hominis enim mentem atq; actionem sine scientiarum cultura sterilem & infecundam, infrugiferam, alter ille Aristippus amator Musarum, non osor ut de altero quodam Aristippo perhibetur, quondam monuit. Interrogatus si quidem quid inter doctum, & rudem discriminis, equo domito & indomito exprimere voluit. Unde filium, alijs erudendum, ne in theatro, & spectaculis publicis lapidi lapis incumberet, tradidisse fertur. O sapientissimum Aristippi responsum, oraculum verissimum; te utinam nostra videret aetas: te utinam revocaret: revocato aures praerberet: revocatus sane multa corrigeres, multa videres mancipia: vulgi iudicium satis admirari haud posses: nemo quingentas tibi drachmas, vix pauculos pro mercede solveret nummos. Nam mens humana quae sit, iners nescit vulgus, non cognoscit.

scit, non intelligit, ignorat eam rasæ tabellæ affinem, cui in-
scriptum nihil, omnia tamen possunt. Non animadvertit
mentis oculos, quod Plato inquit, in cœnum in fossos barbari-
cum ut opus deterfione, expolitione, exornatione: hanc enim
juscipiunt literæ, susceptam conficiunt, confectam perficiunt.

Non modò autem ipsam mentē excolunt, illustrantq̄,
sed & ipsas animarum pugnās, contentiones miras miti-
gant, corrigunt. Humano enim generi animi perturbatio-
nes res esse familiarissimas, adeoq̄ cum vita hominum com-
plicatas, ut in omni inveniuntur homine, in omni etate ap-
pareant, actione qualibet percipiuntur, judicio sentiantur
omni, satis liquidò, pro dolor, constat: consultationem enim
et judicium rectum antevertunt, trahunt, retrahunt, ut haud
ineptè demones congeniti vocitentur, teste Virgilio:

Dijne hunc ardorem mentibus addunt,
Euryale an sua cuiq; deus fit dira cupido?

Hinc potentia, animiq̄ facultates inferiores gigantū
instar, rationalem invadunt, diversa suadent. Eo autem ipso,
quo externa afficiuntur, phantasia, facultasq̄ corporea mo-
vetur, mota turbatur, turbata corpus alterat, & ad va-
rium habitum, variosq̄ morbos perducit. Movet enim
per ipsam facultatem corpoream, sanguinem, spiritum, totū
q̄ corpus, ut videre est per iram, qua habitus mutatur,
& immutatur, vultus voluitur, oculi torquētur. His ergo
quibus consilijs succurrendū cōjicite, Medicorū sanè medicorū
facile princeps Galenus, ipsas animi perturbationes ab ipsa
hominis tēperie oriri autumat, et tēperiei viribus subveniē-
dum innuere videtur. Sed frustra ne leges positæ? instituta
disciplinarū et morū cōciderēt: Tua o homo, periret libertas,

4. Quòd
animarū
sedent ac
cōponāt
pugnās.

B 2 trunco

crunco similior, quam Deo. Id propter artium, scientiarumque
instituta sunt illud medicamentum saluberrimum, quo usus
Plato per iram à seruo pœnas sumere recusavit; Alexander
à virginum intuitu sibi temperavit: Socrates omnem inju-
riam pertulit, & animo intrepido, & constanti cicutam haus-
sit, ebibit, interijt. Ulysses socios à Circes Beneficijs libera-
vit, à Syrenum cantu salvos & incolumes præstitit. Hoc
ergo nihil pulcrius, nihil dignius, nihil diuinius hominibus da-
tum, nemo non videt, & intelligit. Hæ sanè artes, hæc studia
efficere potis sunt, ut ipsa rerum domina fortuna minus in nos
juris habere credatur: Hæc sunt, quibus leges, & jura datur
regiones seruantur, imperia fulciuntur: Hæc quibus politice
administrantur, adeo ut licet omnes leges essent abolitæ: tam-
en æqualiter, et iuste homines viverent, societatemque colerent:
Hæc adolescentiam alunt, senectutem oblectant, res secundas
ornant, aduersis perfugium, ac solatiū præbent, senibus sunt
ad instar fulcri, & leuaminis, quò senectutem onus Aetna gra-
uius, eò facilius ferant, ac sustineant: Diuitias addunt paupe-
ribus, diuitibus ornamento sunt eximio. Quid enim, quæso,
in victum contra pericula præstitit Romanorum imperato-
rem primum? Literæ. Quid socerum ipsius magno atque ex-
celso animo varias fortunæ vices sustinere impulit, iudicavit?
Literæ. Quid de reuocando præceptore, Alexandro fuit cau-
sæ? Literæ. Quid reges gentium ad amandos peritos com-
mouit? Sapientia ex literis. Nam Cræsus Lydorum studio
civilis scientiæ admodum cum delectaretur, & barbaras il-
las nationes, ad quarum gubernaculum ipse sedebat, viris
doctis & peritis omnino carere perspiceret, Athenas unum
ex famio

ex familiaribus misit Anacharsin ut accerferet, Tanta est studiorum dignitas, tanta fama, quanta absentem commendat, ignotum amare suadet, cogit. Hisce ergo litterarum studijs delectati fuere, multumq; & operæ, & sumtuum collocarunt veteres: Dionisius ille Syracusanus, Ptolemæus, Metrodorus, alijq; innumeri, tam ex principum regumq; orti familijs, quam ex Iri sati progenie, maximè ij, quos natura finxit meliores, ut animum excolerent, pristino restituerent vigori, ne animus vitijs naturalibus, sine ullo exercitio, literisq; torpesceret, magisq; corrumperetur.

Nec tamen ulla hominum ætate ab hac vita contemplativa exercitium illud corporis, arsq; militaris neglecta, & abjecta: Animi enim cultura sine corporis exercitio ipsius usq; ornatu esse nequit, ut haud insulse utrumq; conjungere suadeat divinus Plato. Hoc verò exercitium non puerile, cujusmodi olim fuit illud Alcibiadis in tessera, & aliis intelligatis, non indignum fortitudine, quæ ut Græcis ἀνδρεία à viro dicta, sic viro competit soli: non inhonestum cujusmodi Sardanapali, & Herculis, dum Omphale in serui vitæ cogitatis: Sed quod ingenuo dignū, quod corporis incolumitatem servat, quod ad futura in bellis pericula animum, corpusq; iuvat, & informat. O patria nostra beatissima, o felicissima, hæc si coleres exercitia, his si præmia proponeres, ad hæc si tuos incitares. Referta es quidem cunctis & jumentorum, & frumentorū ex Dei gratia donis, ad vestiendū deest nihil, ad pascendū suppetunt omnia. Exercitia ergo animi, & corporis culturam institue, militaria non abnega exercitia, venationem non respue, digladiatoriam non abhorre

Secunda
Pars.

Finitio
exercitii
militaris.

B 3

artem

quam dicunt equestrem, curamq; atq; usum illius altis non
 despice supercilijs. Domandi equos notitiam, ut sibi soleas
 ferreas affigi permittant, ut dorso suo ephippium imponi pa-
 tiantur, ut perferant frænorum jugum, ut prima statim vice
 equitem insidere annitentem recipiant, atq; admittant, ut
 huic fræna adducenti, vel relaxanti pareant, ut vel tollutim
 incedant, vel ad lubitum equitis succussent, aut ad numerum
 ungulas colligant, aut circum agente equite in gyrum vel
 saltibus, cursibusq; concitante in orbem exiguum, in hoc vel
 illud agilimè declinent latus, atq; deflectant, ipsiq; fræna at-
 trahenti, ac à cursu præcipiti, retinere cupienti morem ge-
 rant, ac è vestigio gradū sistere non recusent, apprime dilige
 non contemne, susq; deq; habere noli. Nec pari modo quens
 quam pigeat, pudeat vè ab equorum domitoribus addiscere
 ea, quæ monstrant modum palpo & popismate, equum mo-
 rigerum, ac suo rite fungentem munere in officio retinendi:
 immorigerum, & exorbitantem, tempori ferula, & calcarijs
 bus castigandi & in viam reducendi. Quò ne si in gyrum
 agatur, in decursationibus ludicris ad occursum equitis alte-
 rius obviam facti ense, vel ferula speciem præ se gerente
 ensis exhorrescat, & si non aufugiat planè, saltem cancri
 imitetur gressus, aut ad explosionem bombardarū pavesciat,
 et fugam meditetur. Equiria quoq; & alia id genus exerci-
 tia, quæ pacem conservant, tranquillitatē ornant, & futuris
 profunt periculis institue, et instituta ad posteros trāsmitte.
 Etenim quæ corporis nostri valetudo, etiā in heroicis excelsis
 lentiorisq; gradus naturis, luce meridiana est clarius. Non
 ne enim corporis nostri, quæ aquæ convenientia, hæc
 enim

Commē-
 datio 1.
 quòd sa-
 nitati cō-
 ducat e-
 quitatio.

enim si labatur, si moveatur lymphida, & corruptionis ex-
 pers omnis, immota consistens putrescit, sordes colligit, &
 omnibus humanae vitae negocijs inepta. De corpore quid
 dicam? corrumpuntur humores, spiritus inficiuntur, anima
 suis fungi nequit muneribus. In corpore enim ab exerci-
 tio remoto, humiditates colliguntur plurimae, in quibus ani-
 ma sapiens esse nequit, cum iuxta Heraclitum, in sicco ha-
 bitare consuerit: robur perit, vires exhauriuntur, appeti-
 tus deicitur, ut Laconico saepe opus iusculo. Ideo ejus-
 modi corporis exercitio physici facile primas tribuunt, &
 horum beneficio multos ad Nestorios, quod ajunt, annos per-
 venisse asserunt. Sanitatis autem norma ut hoc requirit
 exercitium, sic necessitas efflagitat. Nam nationum nulla,
 regio nulla, nec imperium ullum, quod ab hostibus hostiumque
 incursionibus immune. Fuit florentissima quondam Athe-
 narum urbs, sed prostrata, & diruta ab hostibus. Fortissi-
 ma Roma, sed a Persenna, Hannibale & Pyrrho mul-
 tum fatigata, a Gallis, Gothis, & alijs occupata: Dis-
 tissima Corinthus, sed dejecta, & pulveribus tradita:
 Sanctissima Jerusalem, sed solo aequata. Nationem
 ostendite, regionem monstrate, significate imperium, quod
 bellis, bellorumque caruerit periculis omnino, quod sine ho-
 ste floruerit, cujus paci non fuerit in visum ab aliquibus.
 Non erit Persarum, non erit Chaldaeorum, non Cyri, non
 Xerxis, non Galliae, non Germaniae, patriae nostrae
 charissimae, quae multa bella vidit, tumultus experta plu-
 rimos.

Commē.
 datio 2.
 quod tē-
 pore pa-
 cis hoc ex-
 ercitiū in-
 stituendū
 cum bel-
 la nun-
 quam nō
 immine-
 ant.
 Ratio. 1.

Sed

Sed iam quæ temporum? qui mores? qui rumores? Hannibal ante portas hostis gentis christicola immanissimus, sævis-
simus, crudelissimus ante muros; fores pulsitat, patriam nos-
tram dulcissimam, solo æquare, aut durissimo seruitutis
iugo subicere, religionem corrumpere, quid corrumpere, in-
tercipere, cultum immutare optat, & molitur. Ideo nostrum
est, non supinos in ocio dormire, non securos in pace videre,
non arma abicere, non militari vale, dicere exercitio.

2. ratio.

Ponenda Martis imago, pulchrè opera illius per pacem
exprimenda: non terram inhabitet hæc imago, sed cælum
intueatur. Hæc in foro sit libera, contemplanda ab omni-
bus, imitanda etiam à minimis. Unde Phaleram quondam
Aristoteles, quod Martis nullam in civitate, quam descripse-
rat, imaginem posuerat, reprehendisse legitur.

3. ratio.

Nam ut tutissimè & optimè morbos præcavemus, si sa-
nitas adsit, & vires suppetant, difficilimè si vires morbus
acquiescit, radices egerit: Sic consultissimè tempore pacis
hosti prævenire discimus, ad famem tolerandã deducimur,
ad pericula adeunda movemur, ad tempestates ferendas
quasi conducimur, ad frigora æstumq; perferendum asuesci-
mus ut vis Martis non amara, sed dulcis, non gravis, sed le-
vis, non truculenta, nec formidabilis, sed grata, jucunda.
Equidem si ullo in vitæ genere verum, quod tela prævisa
minis feriant, & mala non præcognita vehementius vige-
ant, agant, moveant, in armis armorumq; usu locum habere
videtur.

Damnū
primum
profectū
ex spreto
exercitio
militari.

Erat Sardanapalus Rex copiis instructus: Regnum il-
lius satis munitum, aderant varia armorum genera, propug-
nandi

nandi locus haud incommodus: Sed tela cum non essent
prævisa, majusq; vitæ tempus in cubiculis, minus vel nullum
in gladiatorum theatris, campo venatorum, atrijs equorum
consumsisset, hostis venit, vidit, vicit. Abjecit enim per
metum omne armorum genus, & serogo, quod factum om-
nium fortissimum (si hoc factum vocitandum forte) con-
credidit. Ideo infelix quid? infelicissima regio, quæ pacis
tempore de hoc exercitio curam non adhibet, proximum rui-
næ imperium, quod his caret exercitijs. Hinc Cyrus bel-
lator fortis, cum animadverteret gentem Lydorum robu-
stam & bellicosam, in id studuit, ut omnia equestris exerci-
tia, & militaris generis semoveret, illarum occasionem eri-
peret, ansam præcideret, epulas institueret, cõvivia adorna-
ret, tibicines introduceret, & omne lascivie argumentũ ex-
hiberet. In hoc cum voti cõpos Cyrus gens facta effeminata,
ociosa, & imbellis, ut quam ferro, & igne superare non pote-
rat, verbis percuteret, perterreret minis, & ad servitutis ju-
gum reduceret, sibiq; in omnibus morigeram exhiberet.
Taceo factum Philisteorum insidiosum, & stratagema
callidum: Cum enim Israëliticam gentem satis armis in-
structam animadverterent, tantum perfecerunt, ut extor-
querent ab ipsis, ne alerent fabros ferrarios: hoc impetrato,
brevis temporis fluxu armis non modò carere cæperunt, sed
& omnia exercitia intermissa fuere, ut bello exorto, Marte
primo reportata esset victoria. Quis ergo non videt, stu-
dium hujus exercitij admodum necessarium, quis pacis tem-
pore etiam intra mœnia exercendum non animadvertisit;

Secundũ.

Tertium.

C

Melius

5. ratio.

Melius enim ab arce in campum, à muris in hostem profili-
re, pejus ab epulis ad castra progredi, à Baccho ad Martem
impetu ruere temerario. Lignea equidem mœnia non pro-
sunt, muri lapidei turreſq; altissimæ non sufficiunt, sed lacer-
tis civium, exercitio juventutis robur, labore comparatur
fortitudo principum, salus civitatum defenditur, promove-
tur: nec ô Patria vita charior hominum quorundam te ab
hisce exercitijs deterreat opinio præpostera, mens monstro-
sa, corpus iners, cum pacis hæc exercitia impedimenta, et ano-
sam facemq; belli statuunt, cum sumtus prætendunt: Insti-
tuenda enim hæc exercitia, ne paci noceant, civitatem tur-
bent, sed potius conservent, sumtus necessarij impendendi.
Deniq; minimè equestre illud, à quo & totum hoc exerciti-
um nomē hausit spernendū, cum ut præ cæteris ad sanitatem
multum conferat teste Galeno: sic ad futuram necessitatem
maximè commodum. Hinc literarum antiquitati hæc cu-
ra equestris vix cedit, cum olim Pelitronii, Theſſaliæ popu-
li equorum curas susceperunt, ut Poëtæ innuunt, fabula de
Centauris, quos & homines, et equos propter hujus exercitij
studium finxerūt. Hæc verò exercitia, ut multum antiqua;
sic indies multum incrementi cæperunt, adeo ut Protheus
in tot formas se convertere minimè potuerit; quot hæc pri-
ma rei equestris rudimenta progenere exercitia, cujusmodi
ludi Olympici, Isthmici, equiria, decursationes equestres seu
lusus Troiæ Circi Maximi, Circi Flamini, Consualia à Ro-
mulo excogitata, & hodierna culta memoria. Nec in his
aliquid reprehendendum, cum natura equum produxerit,
animal utile, & ad hæc natum, efformatum, unde poëta:

Si qua

Si qua sonum procul arma dedere,
Stare loco nescit, micat auribus, & tremunt artus
Collectūq; premens voluit sub naribus ignem.

Prætereo delectationem, quæ ex equo capitur, omit-
to laudem exercitii, & facta hujus animalis beneficio com-
missa, ut & ordo equestris, quod non unius tantum, sed octo
penè linguarum idiomata demonstrant, suam inde naclus
sit appellationem. Quid enim Alexandro animum addi-
dit, nonne fidelitas Bucephali? nonne peritia illius selectis-
sima? Cur à Cyro tantopere hoc præ cæteris laudatum ani-
mal? propter victorias sanè, quas reportavit insignes. Cur
tantopere Themistocles celebretur? quod peritus hujus ar-
tis adeo, ut ex hoc animali jacula recta mittere, & cum ho-
ste pugnare non dubitaret. Quanta ergo studii literarum, 3. Pars.
& artis militaris exercitii laus, dignitas, abundè constare
arbitror. Vtra verò splendida, nec fucata comparetur glo-
ria ambigunt nonnulli, incerti sunt pauci. Sed sanorum
sanum videtur judicium, utrumq; tam amicam inter se cons-
sensionem alere, ut commune quoddam vinculum, & quasi
cognitionem quandam inter se habere videantur, in tan-
tum ut hæ artes utraq; sibi in vicem junctæ, tum validæ,
tam firmæ sint ad defendendam politiam, adipiscendam
gloriam, & nominis immortalitatem, ut nihil his addi pos-
se existimetur.

Nam prægrandis corporis moles, vastum illud Mi-
lonis Crotoniatis corpus absq; animi imperio, quid ali-
ud, quàm truncus iners? bovem portare non abnuit,
con- Ratio 1.
à corpo-
ris insuf-
ficientia
sine ani-
mo excul-
ta.

Ratio Se-
cunda à
carentia
perfectitu-
dinis in a-
nimo siue
corporis
viribus.

congruere cum parvulo contremuit, ut robore plus quam vir,
animo plus quam muliercula cum Aeliano censendus. Nec
animus sine corporis robore & exercitio laudatur. Est qui-
dem in apibus animi fortitudo, dum Rex suos convocat,
educit, pugnant animose, sed.

Hi motus animorum atq; hæc certamina tanta
Pulveris exigui jactu compressa quiescunt.

Ideo huius splendidissimi ædificij seu parvumundi
partes unicè conspirent necessum est. Animus enim
per literas exercendus, ut corpori præsit. Corpus exercen-
dum, & ita efficiendum, ut obædire consilio, rationiq; possit,
in exequendis negotijs et tolerando labore. Literæ autem,
quod circa animum formandum versentur, an exercitio rei
equestris præstent, aliorum sanè sit iudicium. Multorum, &
eorum quidem, qui sano sunt cerebro, sententia, in rebus ar-
duis, ac periculorũ plenis jungenda videntur. Hinc Pallas,
dea sapientiæ, ab Atheniensibus non nuda, ut Diana, picta,
sed armata, armisq; instructa optimè. Non enim consenta-
neum ullum bellum eximium, aut susceptum, aut finitum, ne
valde sollicitè in vigilare consilijs coacti fuerint omnes. De
Themistocle, Atheniensiu duce celeberrimo, memoriæ pro-
ditum legimus, quod præterquam, quòd singularis cujusdam
in equitando fuit industriæ, ac solertiæ solertissima: etiam
tantam, tamq; penè admirandam obtinuerit sagacitatem, ut
acie mentis suæ non præmunitus, nec diu considerans in re-
bus subitis optima habuerit cõsilia: et de futuris quid even-
turum esset rectissime conjecerit, quæ in præsentia in mani-
bus habuerit, explicare potuerit, quæ non norât, non destite-
rit inquirere. In obscuris autem rebus quid melius, aut dete-
rius

3. Ratio
ab exem-
plo Athe-
nensium

Probatio
exemplo
Themis-
toclis.

rius omnium maximè per spicere potuerit. Hic tamen tantis, tamq; divinis naturæ dotibus & adjumentis bellum tanti nominis à se gestū ad Salaminas sine consilijs Solonis ad finē perducere haud potuit. quod certè præclaro hoc & planissimè, digno albis quod notetur lapillis: Parva sunt arma foris, nisi sit consilium domi, ne Apollinis quidem oraculum, ut dicitur magis verum sit, ipsa experientia, quæ rebus omnibus velut horno messis magna est, in Cræso commonstrat, qui nullo consilio, nulla satis gravi de causa, nescio qua temeraria potentia, ac opum suarum fiducia ac persuasione vanæ cujusdam gloriolæ acquirenda.

Primus effectus consilij neglecti in rebus bellicis,

Halym penetrans in agnam pervertit opum vim.

Et, dum demum saluberrimum Solonis meminisset se hominem esse, consilium, nimis serò sapiens in mentem revocavit, ubi se sprete illius pœnas pendere percepit. Quid referam Mardonij factum, qui & ipse osor omnium bonorum consiliorū jam morti vicinus, suo exemplo comprobavit illud vel ipso Apolline non indignū: Priusquam incipias consulto, ubi consulueris, tum demum maturè factum opus est; tam esse verum ac sanum, quàm quod verissimum. Quid memorem ipsum Alexandrum, à rebus magno & intrepido confectis animo Magnum dictum? Hic enim nunquam Iliadem Homeri deposuit, in castris secum habuit, & rei militaris vaticum pronunciare non est veritus. Quæ res unquam bello gesta tantæ, quantæ Caij Iulij Cæsaris? Cuius res pares Cætonis? qui triumphis ipsorum triumphis conferendi? Sed erant hi tam consilijs, quam manu prompti, tã literis armati, quàm armis decorati, in tantum etiam ut Alexander Macedo

Secundus effectus,



de crebris sermonibus illud, quod à Camænis quasi profectū
videtur: malle se doctum esse, quàm divitem usurpare non
erubuerit, pariq; modo se in maximo armorum strepitu ani-
malinam naturam, & singulas partes sub præceptore Aristo-
tole diligenter observasse gloriari non dubitavit. Quid de
Hannibale? Nonne hic consilio per literas accepto A' pes
aceto calefacto confregit, confractas transiit, & victo-
ria potitus est? Quocirca non modò audire, sed etiam vide-
dere planeq; animadvertere est in rebus fortiter peragendis
æque expetendam decernendi rationem, quàm decertandi
modum, cum illud honestum, quod ex magnifico & imper-
territo eruitur, animi efficiatur, non corporis viribus, ut nec
animo corporis competunt actiones ac labores. Anima quip-
pe Deo, cui persimilis per studium virtutis jungitur, haud
secus ac corpus mundanis, quibus & haud absimile in ser-
vit rebus quod sanè & ipsum, si multis exantlatis laboribus, ita
exercitum, ut non solum cuilibet oneri ferundo par maximè:
verum etiam ad quælibet tam aptè, concinneq; omnino con-
veniens sit, ut nos non animi magis imperio, quàm huius uti
posse ser vitio arbitremur: sua defraudandum gloria mini-
mè; plurimum namq; & haud oscitantè belli juxta ac pacis
artes defendit, promovet, tuetur; sed quia consilia saluber-
rima plus momenti, & voluptatis, minus molestiarum, &
ærumnarum sustinent, & non tam ad præsens seculum,
quàm omnem durant posteritatem: non minorem afferunt
et hi utilitatem, qui Rogati Reipub: præsunt, quàm qui ma-
jori periculo, minori constantia et emolumento ad Rempub:
Cōclusio redundante, bellum, ac res huic cognatas administrant.

Cum ergo literarum studij, militarisq; exercitij tanta
sit dignitas, & utilitas, tanta deniq; necessitas, ab his ani-

mum nemo alat diuersum, omnes sectentur, imitentur cum
Eti. Vos autem Magnates, vos Principes, & quibus natu-
ra, primatum concessit, fortuna iuvat, Deus fortunat, stu-
dia diligite, promote, exercitia institute, pacis tempore
de bello cogitate, miserius quippe nihil, stolidius nullū, ac igi-
tur, tum demum fodere puteum, ubi sitis fauces tenet, Mar-
tis imaginem ponite, vexilla erigite, armorum exercitia
mandate, pennis adigite. Vobis Romanos imitandos proponi-
te, Athentenses sequendos existimate: hi enim non conten-
ti exercitijs Gallorum pugnam quotannis in theatris ab om-
nibus conspiciendam instituerunt, Nolite immanissimo
Christiani nominis hosti in his inferiores esse, cum longè in
alijs antecellatis. Non concedite cruentum illud duellum,
cum natura vim inferat, Rempub. offendat, & vulnus in-
fligat insanabile, sed exercitia natura congrua, corpori con-
uenientia quibusq; periculo Martis ingruente uti possunt
singuli, adornate, celebrate. Nec quispiam à literarum stu-
dio per difficultatem, aut à militaribus exercitijs propter
pericula deterreatur. Quid enim pulcrum, quod nō idem dif-
ficile? Hac certè difficultate si commotus Cicero, si defatiga-
tus Solon, si deteritus Socrates, nunquam Pater patriæ,
unus ex septem sapientibus, nunquam sapientissimus appella-
tus esset. Pericula etiam cur avertant? cum nihil glorios-
sum, nisi idem periculosum, & arduum. Cum verò difficul-
tas plerisq; videatur difficilior, periculum omnibus ferme
periculosius. Numen ritè invocandum, ut horū radices tol-
lati, studiorūq; militarisq; exercitij semina immittat, calo-
re Solis cælestis fovent, humore irriget, vêtō iuuet saluari,
ut progerminent fortes Iosue, sapientes Moses; floreat
Lycurgi.

QX 7a 338
Lycurgi, Solones, Socrates; vigeant Themistocles, Alexan-
dri, Pompei, Caesares, studia ut propagentur, Ecclesia defen-
datur, politia crescat, floreat, & incolumis consistat.

Dixi.

EPIGRAMMATA

Amicorum ad Nicolaum à Miltitz.

Qui rectè novit freno & calcaribus uti,
Callet & Heroum Martia signa ducum;
Huic meritò grandis debetur adorea famæ,
Dum movet exemplo mascula corda suo.
Nec minùs ille solet præclarâ laude potiri,
Hoc qui facundo prædicat ore decus.
Quod cum tu facias, MILTITZI, utrumq; : quis est, qui
Hinc geminam laudem te meruisse neget?
Christophorus Ioachimus à Gulen.

Dum sacra MILTICIVS Musarum, atq; arma Mamertis
Verborum artifici temperie euolunt,
Istaq; & hæc laudans; nec palmæ præmia siue huic
Sive illi dubio derogat arbitrio:
Esto procul tunicata cohors, quæ non nisi census
Laudibus atq; unctæ velificare rei.
Quæ datur & Musis, & laudis adorea Marti,
Laudem aio, vili reliqua sorte habeo.
Iodocus Erricus à Besem. Nob. Sax.

Existat major quæ laus Mayortis an artis:
Quid dubitant? ciues hujus & hujus egent.
Qui si non præstant, pariter saguloq; togaq;,
Publica res felix nulla manere potest.
Sed quanto tamen est melior pax fida duello,
Iudice me, cedunt classica torva lyra.
VVolfgangus à Rabiell. Nobil. Sax.

X2212163







v. Miltitz

IIa
538

N. D. M. S.
ORATIO.
DE LITERARVM
STUDIO, ET ARTIS MILI-
taris exercitio.
VAM IN CELEBERRIMA
Vitebergensium Academia hab
uit.
NICOLAUS A MILTITZ.



18-BIBLIOTHEK
ALLE
SAALE)

BIBLIOTHECA
PONICKANA

VVITEBERGAE,
Typis M. Georgij Mullerj.
Anno M. D. XCV.

20

